



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 7. An fuerit necessaria Incarnatio ad condignam satisfactionem
pro peccato lethali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

262. **Obijcies 4.** contra quartam conclusionem impossibile est unam personam operari Incarnationem sine alia: ergo nec incarnari sine alia. **Confirm.** non potest una Persona obiectivè terminare visionem claram sui sine aliis, ergo nec potest terminare humanitatem sine alia. **Confirm.** 2. unio hypostatica est terminata ad Divinam naturam; atqui Divina natura est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ergo unio ad Patrem fuit terminata, Filium, & Spiritum Sanctum. **Confirm.** 3. Christus Ioan. 10. ait ego, & Pater unum sumus: ergo si Filius tunc etiam Pater incarnatus est. Hæc sunt fundamenta Hæreticorum admittentium Trinitatem Personarum. **Respondeo:** conc. ant. nego consequ. quia operari est actio pertinens ad omnipotentiam formaliter ratione sui, cumque omnipotentia sit toti Trinitati communis, ideo operari Incarnationem est toti Trinitati commune. Unde Concil. Tolet. 6. Dixit; *inseparabilia sunt opera Trinitatis; at incarnari convenit Deo ratione prædicati formaliter ratione sui termini terminantis unionem, nempe ratione filiationis, quod non est prædicatum commune, sed relativum convenientis soli filio, ac proinde vi eius terminationis non quidem tota Trinitas, sed solus filius est incarnatus.*

263. **Ad primam confirmationem** omitto antecedens, quod plures Theologi negant: & nego consequentiam, quia ea, quæ inter se habent mutuum habitudinem, majorem inter se connexionem habent in ordine ad claram cognitionem, quam in ordine ad physicam unionem; sic in creatis relatio accidentaliter paternitatis non potest cognosci clarè sine filiatione, & tamen potest realiter uniri subjecto, cui non unitur filiatio; sic etiam scientia non potest clarè cognosci sine objecto scibili, & tamen unitur realiter cum intellectu, cui objectum scibile realiter non unitur; unde licet una Persona Divina, utpote continens essentialiter relationem ad aliam, non potest clarè cognosci sine altera, potest tamen realiter uniri extremo, cui altera Persona realiter non unitur. Dicitur tamen, vi unionis manere Personam non unitam, quasi per circumfessionem in humanitate unita alteri Personæ; quatenus licet Deus non esset immensus, adhuc tamen esset, ubi est humanitas illi unita, cum id exi-

gat divinitas, quæ ratione Personalitatis unitur. Unde Concil. Tolet. 11. in expolitione Mysterii Trinitatis, ait: *nec enim Pater absq; Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur; relatio quippe ipsa vocabuli personalis Personas separari vetat.* Ad secundam Confirmationem: dist. majorem, est terminata ad divinam naturam formaliter ratione sui, nego, ratione personalitatis concedo majorem, & minorem, nego consequ. quia ea, quæ conveniunt alicui divinæ Personæ ratione formali solius prædicati relativi, non sunt Trinitati toti communia; sic Filius, quia ratione filiationis dicitur genitus, differt in hoc à Patre, & Spiritu Sancto, neque in hoc cum illis convenit.

Ad secundam Confirmationem: concessio antecedenti, nego consequentiam, quia Filius licet in Deitate sit unus cum Patre, non tamen in personalitate, ratione cuius terminat formaliter unionem; cum enim unitas, ut notavit quinta Synodus Can. 4. multipliciter intelligi possit, scilicet vel pro unitate aggregationis, sive dignitatis, sive æquivalentiæ; ad eum modum, quo Baptismus fluminis, fluminis, & sanguinis dicuntur unum in ordine ad conferendam gratiam, quod significatum est per illa verba 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis & hi tres unum sunt;* at quando sermo de unitate Patris, & Filii in ratione Deitatis non intelligitur, unitas aggregationis, vel unitas æquivalentiæ, sed identitatis quatenus eadem indivisibili natura divina identificatur cum omnibus tribus Personis, scilicet cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Ut ex verbo scripto, & tradito docet nostra Sancta Mater Ecclesia Catholica, & fusè explicatur in Concilio Lateranensi, quod dicitur maximum sub Innoc. 3. in Can. 2. quare similitudines, quæ ad explicandum hoc Mysterium Trinitatis ex creaturis sumuntur, non possunt illi convenire in omnibus, sed tantum in aliquibus, ut in eodem citato concilii loco traditur. Reliqua argumenta, quæ à Paganis Hebræis, fieri possunt contra Sanctissimum Mysterium Incarnationis soluta sunt à num.

22. ad 35. & num. 70. usque ad 85.
* * *

264.

DISPUTATIO VII.

AN FUERIT NECESSARIA INCARNATIO AD CONDIGNAM SATISFACTIONEM PRO PECCATO LETHALI.

265. **N**omine Incarnationis non intelligitur in præfenti Incarnatio rigorosè, & determinatè sumpta, prout tantum significat unionem hypostaticam inter Deum, & humanitatem: sed ve formaliter, vel æquivalenter sumpta, pro-

ut significat Unionem hypostaticam creaturæ rationalis cum Deo, sive sit unio humanitatis, sive animæ rationalis, sive Angeli, quæ dici possent Angelicatio; siquidem non minus meritarii essent actus animæ rationalis, aut Angeli



geli hypostaticè uniti Deo, quàm actus hominis, neque est quæstio de satisfactione ex toto rigore justitiæ, de qua postea; neque de remissione liberali Dei; quippe, qui vel per extrinsecam condonationem, vel per liberalem gratiæ infusionem, vel aliis modis quàm plurimis independentè ab Incarnatione poterat peccatum remittere, ut cum Augustino aliisque Patribus diximus, à num. 98. quæstio igitur est an purus homo, sive purus Angelus non quidem purus, quia destitutus donis supernis, sed quia pura creatura, & independentè ab unione hypostatica cum Deo, si instrueretur abundanti gratia habituali, posset condignè satisfacere pro peccato lethali, vel an ad hanc condignam satisfactionem fuerit necessaria Incarnatio?

SECTIO I.

Utrum pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato lethali?

267. **S**uppono 1. satisfactionem condignam in eo distingui à congrua, quod congrua non est æqualis cum offensa, licet ea posita deceat summè bonum, & liberalem Deum injuriam, & offensam condonare; condigna verò est æqualis offensæ, id est tanta in ratione satisfactio- nis, quanta sit offensa in ratione offensæ; offensa autem alteri illata potest accipi dupliciter 1. quidem latè pro quocunque damno alteri illato, sive in bonis realibus, ut fortunæ, quando nempe pecunia accipitur invito Domino, sive in bonis personalibus, ut famæ, quando scit, detrahitur alteri de bono nomine, & fama. 2. strictè pro injuria in bonis honoris, ut quando aliquis inhonoratur, & contemnitur; in eo quippe diffamatio ab inhonoratione, quod fama est bona opinio unius apud alios comparata, ut virtutis, sapientiæ, egregiorumque facinorum; unde diffamatio stat in detractio- ne, & læsione hujus bonæ opinionis. Honor verò est exhibitio reverentiæ, vel protestatio, & testimonium præminentis, & excellentiæ alterius; unde inhonoratio stat in ratione, qua quis irreverenter se gerit erga aliquem, & ei detrahit lædendo ejus dignitatem, & auferendo testimonium opinionis interius conceptæ de ipsius dignitate, & excellentia, quæ dignitas moraliter saltem residet in ipso inhonorato.

268. **S**uppono 2. mortale peccatum continere inhonorationem Dei; primò, quia Deus sperus dicitur à creatura propter peccatum lethale, ut Isaïæ 1. Filios enutrivit, & exaltavit; illi autem spreverunt me, & ad Hebræos 10. Deus dicitur conculcari in peccatoribus; quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit? Secundò per quodcunque peccatum mortale vilipenditur, & irreverenter tractatur excellentia, & dignitas Dei præsentis, quod certè continet rigorosam in-

honorationem; etenim ille, qui peccatum lethale committit Deo præsentè anteponit voluntati divinæ voluntatem creatam, sequè avertit à Deo, ejusque amicitia, ut se convertat ad creaturas; unde hæc omnia saltem virtualiter, & interpretativè vult; sicut qui comedit die veneris carnes, quas advertit sibi prohibitas, vult interpretativè transgressionem præcepti; unde qui ita se avertit à Deo, vilipendit & irreverenter tractat dignitatem, & excellentiam Dei præsentis.

Quod etiam explicatur facillè paritate desumpta ab humanis; si enim Rex, aut Imperator aliquis præciperet actionem aliquam vasallo suo, eique suam amicitiam, magnaque præmia, si eam exequeretur; sin autem magna supplicia cum ipsius inimicitia, procul dubio vasallus si inconspèctu Regis audacter præceptum frangeret, apud omnes prudentes censeretur maximam irrogasse legi inhonorationem; sic etiam Deus supremus omnium Rex, & Imperator imponens creaturis suis præcepta gravia, si ea impleant, offert illis magna præmia, inter quæ creaturam, gloriam, & se ipsum ab eis possidendum, sin autem convincatur magna supplicia cum ipsius inimicitia, & indignatione; unde qui in conspectu Dei, qui ubique est, audet frangere præceptum, fanè apud omnes prudentes censetur Deum inhonorare.

Suppono 3. Magnum quoque esse discrimen inter offensam latè sumptam pro jactura in bonis, sive realibus, sive fortunæ, & inter offensam strictè sumptam pro inhonoratione; nam offensa latè sumpta non crescit ex dignitate personæ offensæ, & in dignitate offendentis; non enim est major offensa contra justitiam furari 100. à Rege, quàm à plebejo: ideòque ad justam compensationem tam sufficit restituere 100. Regi, quàm plebejo, idem ello de pura læsione in bonis famæ; nam cæcæ paribus tanta est injuria infamare plebejum de symoniaca vindicatione beneficii, ante duas Personas, quàm Regem; ideòque non debetur uni major satisfactio, quàm alteri: quamquam enim offensa aliquando componatur ex lata, & stricta, ut rapina, in qua ob violentiam illatam præsentè Domino miscetur inhonoratio, & contemptus, at ista non est pura offensa lata, de qua loquimur.

Offensa verò stricta continet inhonorationem, & contemptum: ideòque crescit proportionate ex dignitate Personæ offensæ, & ex vilitate offendentis; ita, ut quo dignior est Persona offensa, & vilior offendens, eo gravior sit injuria, & offensa; ratio hujus discriminis est, quia offensa in bonis realibus solum attingit immediatè bona realia, quæ tollit; & offensa in bonis famæ solum attingit immediatè opinionem hominum, quam enervat, quæ cum non subjeceretur moraliter in Persona offensa, exinde talis injuria non attingit directè Personam dignam, ac proinde non

non crescit ex parte dignitatis talis personæ: at verò cum honor feratur ad ipsam personam dignam ratione dignitatis, quæ in ea persona re- fidet, offensa inhonorationis immediatè attingit personam dignam, quæ inhonoratur ab offendentē, idèoque crescit ex parte illius dignitatis offensæ; idcirco Theologi distinguunt in actibus inhonorationis rationem malitiæ, & rationem offensæ. Malitia vocatur actio prava identificata cum actu humano finito, & limitato, quæ non crescit ratione personæ, contra quam fit; offensa verò geometricè crescit ex proportionē dignitatis personæ offensæ, & vililitatis personæ offendentis; unde quicumque actus pravus continet rationem malitiæ, licet non contineat contra homines rationē offensæ.

172. Quidquid tamen sit de ratione à priori inter malitiam, & offensam, certum omnino est, & ipso lumine naturæ norum, offensam aliquo modo crescere ex dignitate personæ offensæ, & indignitate offendentis. Quis enim dubitat, majorem esse offensam, si plebejus alapa percutiat Regem, quàm si Rex percutiat plebejum, vel alium Regem? Idcirco Aristoteles lib. 5. Ethicor. cap. 5. dixit: *si is, qui Magistratum querit, alium percutit, non est reperciendus: at si quis Magistratum percusserit, non solum reperciendus est, sed etiam supplicio afficiendus;* & consonat Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2. ubi ait: *peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divine majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur;* unde obsequium è contra decrevit ex magnitudine Personæ, cui offertur, & ex vilitate offerentis, aut se humiliantis obsequendo, quia obsequium personæ vilis respectu supremæ parum est, licet obsequium personæ supremæ respectu vilis magnum sit; unde minus est, si genu flexo Regem salutes, quàm quòd Rex genu flexo salutes subditum, vel alium Regem.

173. Suppono 4. Res ordinis eminentioris quantumvis finitas, ita superate alias lineæ inferioris, ut quantum ad hoc nulla earum multiplicatione possint adhuc moraliter æquari; sic in moralibus infinita peccata venialia non efficerent unum mortale, nec infinita opera purè naturalia mererentur de condigno, quod meretur unus solus actus supernus: atque in physicis infiniti lapides non æquabunt unius Angeli perfectionem, & dignitatem. Ratio est, quia multiplicitas non auget dignitatem, sed numerum intra eandem lineam dignitatis; cumque supremum infimi non possit accedere ad infimum supremi, sicut supremum equorum non potest accedere ad infimum hominum, ea de causa res ordinis inferioris quantumcumque multiplicata non possunt æquare in æstimatione morali rem ullam ordinis superioris.

174. Quamobrem, quando ab hominibus instituntur aliquæ æquales commutationes, nequaquam attenditur ad æqualitatem dignitatis reum, quæ commutantur, ut lineæ inadæqua-

biles adæquentur, quod est impossibile, sed attenditur ad commodum, quod afferri potest hominibus ratione ipsarum, vel ad incommodum, & difficultatem, quæ requiritur ad acquirendam hanc rem, vel illam, quod ad eandem lineam pertinet. Sic quando venditur servus pro pecuniis, videlicet pro 100. scutis, nequaquam intendunt homines decernere, quòd illa 100. scuta habeant eandem dignitatem, quam habet homo, sed tantum centent, quòd possint afferre homini tantum commodum, quantum posset afferre servitiū unius hominis. Pariter quando decernitur, triginta Julios argenteos æquivalere duplioni aureo, nequaquam intenditur, quòd perfectio argenti sit æqualis perfectioni aurei, sed quòd non minùs laboris, aut quid simile requiratur in fodinis ad obrinendū triginta Julios, quàm ad obrinendum unum duplonem, & sic de aliis, quæ in commercio humano decerni solent; atque in eodem sensu sæpe apud homines ad compensandas ex pacto eorum actiones attenditur ad pretium, & commodum, quod alteri intendit; non verò obsequium, quod non intendit. His positis

Prima sententia docet, non esse necessariam Incarnationem ad condignam satisfactionem pro peccato lethali. Ita Scotus, Paludanus, Richardus, & alii; nec multum differt ab hac opinione Castillo, qui Tom. 1. disp. 2. quæst. 2. docet, puram creaturam posse condignè satisfacere pro peccato lethali alieno, quamvis non possit satisfacere pro proprio. Secunda sententia docet, Incarnationem esse simpliciter necessariam ad condignè satisfaciendū pro peccato lethali, quatenus Incarnatio significat Unionem hypostaticam creaturæ rationalis cum Deo, & quatenus creatura nequit satisfacere de condigno pro peccato lethali. Ita Div. Thomas 3. part. quæst. 1. art. 2. Bonaventura, & ferè omnes Thomistæ, & nostri cum Eximio Doctore disp. 4. sect. 8. & Vasquez disp. 2. c. 2.

176. Affero cum secunda sententia: nulla pura creatura potest condignè DEO satisfacere pro offensa lethali, proindeque ad hanc condignam satisfactionem necessarium est, quòd Deus hypostaticè unitus creaturæ rationali satisficiat. Probat 1. Sancti Patres constanter docent, non posse puram creaturam condignè satisfacere pro peccato lethali, atque ad istam satisfactionem necessariam fuisse Incarnationem in sensu explicato num. 266. ergo &c. Probat 2. ant. ex S. Leone Papa Serm. 1. de Nativitat. *nisi esset verus DEUS, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non praberet exemplum;* & Serm. 12. de Pass. *quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatae mortis evincere, venit è Cælo Medicus singularis.* Sic etiam loquitur Adrianus I. Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *sicut peccatum non tolleretur, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit, necessarium e-*
guerit

Euert, ut gratiam adoptionis acciperet; Augustinus in Enchyrydio cap. 108. neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei, & hominum Christum JESUM, nisi esset Deus; Cyrillus, Alexandrinus in Concilio Ephesino Tom. 6. cap. 1. Epist. 1. quomodo vulgaris, nobisque similis sanguis orbis pretium exequare posset? & cap. 16. quo pacto unus pro omnibus mortuus, iustum pro omnibus pretium exsoluere potuit, si per passionem illam puri cuiuspiam hominis esse dicemus? Basilius in Psalm. 48. Frater non redimit, redimet homo: ubi ait, redimet homo, non homo nudus, sed homo Deus Christus JESUS; quia nullus alius condignum poterat afferre pretium; idemque docent plurimi alii Patres, quos afferunt Eximius Doctor, & Vasquez locis supracitatis: ergo &c.

277. Confirmatur, & præoccupatur Adversariorum responsiones: hæc Patrum testimonia non possunt intelligi de satisfactione exhibita à pura creatura donò gratiæ destituta, cum Patres expressè dicant, non posse aliquem condignè satisfacere pro lethali, quin sit DEUS: pura autem creatura, licet haberet intensam gratiam sanctificantem, non ideo esset Deus, nec intelligi possunt de sola satisfactione superabundanti, quam DEO homini concedunt, ita ut concedant creaturæ satisfactionem æqualem offensæ, licet non superabundantem; nam Patres expressè loquuntur de satisfactione condigna, ut constat ex Basilio citato, & loquuntur etiam expressè de satisfactione, qua nos indigebamus, ut ex adductis testimoniis planum sit: nos autem non indigebamus superabundanti, cum satis nobis fuisset æqualis satisfactio pro offensa lethali; neque intelligi possunt de æqualitate ex rigore justitiæ commutativæ: nam Patres contendunt, ex vi hujus satisfactionis contra Hæreticos, Christum esse Deum, si autem loquerentur de satisfactione ex rigore justitiæ commutativæ inefficiter contra illos arguerent, cum possent Hæretici se protegere sententia satis communi inter Theologos, & quidè vera negante, Christum satisfecisse ex rigore justitiæ commutativæ, licet superabundanter satisfecerit: ergo testimonia Patrum non possunt aliter intelligi, nisi quatenus nulla pura creatura potest condignè satisfacere Deo pro offensa lethali.

278. Probat 2. conclusio ratione Eximii Doctoris, satisque communi inter Theologos: satisfactio condigna illa est, quæ ita apud Prudentes est æqualis offensæ, ut nequeat rationabiliter offensus ad æqualitatem cum offensa exigere ulteriorem satisfactionem: sed pura creatura nequit reddere Deo hujusmodi satisfactionem pro peccato lethali; ergo &c. Probat 3. min. ut satisfactio talis sit, debet esse tam æstimabilis in ratione obsequii, quanta est offensa in ratione offensæ; sed pura creatura nequit reddere Deo talem satisfactionem pro peccato lethali: ergo &c. Probat 4. min. Obsequium, utpote ab illa creatura exhibitum DEO summæ

dignitatis, & excellentiæ, decrevit ex parte creaturæ ratione suæ utilitatis, & decrevit etiam ratione excellentiæ DEI in ratione obsequii ipsi Deo præstiti, quantum ex iisdem capitibus crescit offensa in ratione offensæ, ut constat à num. 272. sed obsequium, quod decrevit in ratione obsequii ex iisdem capitibus, ex quibus crescit offensa in ratione offensæ, nequit esse tanta in ratione offensæ, quanta est offensa in ratione offensæ: ergo &c.

Confirmatur. Offensa lethalis illata DEO à creatura nequit compensari per obsequia infinita exhibita ab infinitis puris creaturis, licet fingantur infinita Sanctæ; ergo &c. Probat 2. antec. Infinita obsequia exhibita à puris creaturis infinitè Sanctis, tanquam nihil sunt in ratione obsequii respectu Dei, utpote exhibita à vilissimis personis relatè ad personam summæ dignitatis, & excellentiæ; & è contra offensæ, quia facta est à vilissimis personis relatè ad DEUM contra personam summæ excellentiæ, & dignitatis non sunt tanquam nihil, sed tanquam maximum respectu Dei in ratione offensæ; atqui, quod est maximum respectu Dei in ratione offensæ, nequit condignè compensari per id, quod est tanquam nihil respectu Dei in ratione obsequii: ergo &c.

Probat 3. Offensa gravis illata Deo à creatura, major est, quàm offensa illata creaturæ ab altera creatura, & è contra obsequium factum Deo à pura creatura quantavis Sanctitate pollente minus est, quàm si fieret à creatura alteri creaturæ: sed offensa major quacunque offensa facta creaturæ nequit condignè compensari per obsequium minus quocunque obsequio factò puræ creaturæ: ergo nulla pura creatura potest condignè satisfacere Deo pro offensa lethali. Pater consequentia; quia tantum distant duo inter se, quantum distant à tertio: atqui offensa, & obsequium factum Deo penes magis, & minus summè distant à tertio, nempe ab obsequio, & offensa facta puræ creaturæ: ergo penes magis, & minus summè distant inter se: ac proinde offensa contra DEUM nequit compensari per obsequium puræ creaturæ. Confirmatur ex Exim. Doctore disp. 4. sect. 9. Nulla, quantumvis infinita multiplicatio actuum purè naturalium potest in vi meritoria æquivalere uni actui supernaturali finito, ut ex Fide constat: ergo neque obsequia puræ creaturæ facta DEO possunt in vi satisfactoria condigna æquivalere demerito unius duntaxat offensæ lethalis contra Deum. Probat 4. consequentia; quia juxta Prudentum judicium inhonoratio Dei non minus excedit obsequium puræ creaturæ, quam actus supernus excedat naturalem: ergo &c. Abstineo à probationibus, quas adducunt Lodoi, Gonnet, & Contenson fundatas in magnitudine offensæ simpliciter infinitæ; nam ut infra videbimus, non est infinita simpliciter, licet secundum quid.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

281. **O**bjicies 1. Bonitas meritorum major est, quam malitia peccatorum lethaliū: ergo peccatum lethale potest compenſari ſuperabundanter per merita puræ creaturæ. Probat̄ur antec. Sicur ſe habet præmium ad pœnam, ita ſe habet meritum ad peccatum, ſeu demeritum; ſed bonitas præmii eſt major, quam malitia pœnæ: ergo etiam bonitas meritorum eſt major, quam malitia peccatorum, ac proinde ſuperabundanter compenſabitur per merita. Maj. & conſequentia tenent; minor probatur; quia in præmium datur ipſe DEUS, qui melior eſt, quam mala ſit qualitas pœnæ; ergo &c. Reſp. 1. nego antec. ad probationem nego maj. quia præmium eſt finis meritorum intentus à deo, & à merente; cùmque finis prudenter decernatur à deo melior mediis, ideo eſt major bonitas præmii, quam meritorum, quæ media ſunt: ſic abſciſſio brachii, quæ eſt medium ad conſervandam vitam, prudenter decernitur, quia brachium eſt minus bonum, quam vita, quæ finis eſt illius abſciſſionis, ideoque ablatio vitæ imprudenter decerneretur ad conſervandum brachium; at verò pœna non eſt finis demeritorum, ſed eſt medium à DEO poſitum, ut homines avertantur à peccatis, quæ quidem averſio eſt finis intentus per illa media; cùmque finis debeat eſſe nobilior mediis, ſive æſtimabilior; exinde pœna non potest prudenter decerni tanta, quanta eſt malitia peccati. Idcirco Beati, cùm habeant gaudium de bono infinito intuitivè viſo, & poſſeſſo, habent majus præmium, quam damnati habent pœnam; nam iſti non habent triſtitiā ortam ex cognitione intuitiva, ſed abſtractiva ſummi boni, quo privantur, & triſtitiā orta ex cognitione abſtractiva ſummi boni non eſt tanta, quantum eſt gaudium ortam ex cognitione intuitiva ſummi boni.

282. **R**eſp. 2. ex communi ſententia, diſt. antec. ſumpta bonitate, & malitia objectivè ſolum, permitto; objectivè, & affectivè, nego antec. Ad probationem diſt. maj. ſumptis objectivè ſolum, permitto; objectivè, & affectivè, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam, cujus probatio nulla eſt; quia ſi per meritum obtinetur DEUS aliquo modo fruendus, per peccatum amittitur ipſe Deus cum omni fruitione, & poſſeſſione ipſius: idcirco in peccato, & merito duo conſiderare debemus, nempe objectum, & affectum; alapa enim, qua plebejus percutitur à plebejo, objectivè in æſtimatione morali eadem eſt cum alapa, qua Rex percutitur à plebejo, ſed affectivè valde diſtant; nam illa percuffio ita afficit plebejum, ut parum illum inhonoret; Regem verò plurimum, quia ex num. 272. inhonoratio illa creſcit ex ma-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

gnitudine perſonæ inhonoratæ, & vilitate inhonorantis: ſic in merito conſideranda eſt objectiva entitas meriti, & affectio honorationis, ſed illa honoratio decreſcit ex magnitudine perſonæ honoratæ, & vilitate honorantis; unde licet meritum, & demeritum æqualia eſſent objectivè, eſſent affectivè inæqualiſſima, ideoque nullo modo poſſet unum compenſari per aliud, cùm inhonoratio unius incompenſabilis eſſet per honorationem alterius.

283. **O**bjicies 2. Pura creatura eliciens dilectionem Dei ſuper omnia tantum Deo reddit, quantum abſtulit per peccatum lethale: ergo condignè ſatisfacit pro peccato lethali. Probat̄ur antec. Dilectio Dei ſuper omnia antepōnit Deum omnibus rebus, convertitque perfectè creaturam ad Deum ultimū finem ſupernaturalem: ſed hoc abſtulit creatura à DEO per peccatum: ergo &c. Reſpondeo diſt. antec. tantum Deo reddit objectivè ſolum, conc. objectivè, & affectivè, nego antec. ad probationem conc. maj. & diſt. min. hoc ſolum abſtulit à Deo ablatione objectivè tantum conſiderata, nego, conſiderata objectivè, & affectivè, conc. min. & nego conſequentiam; quia per quodlibet peccatum mortale inhonoratur Deus, ut conſtat ex dictis, quæ inhonoratio eſt quid maximum reſpectu Dei: at verò licet per dilectionem Dei honoretur Deus, illa tamen honoratio eſt quid minimum reſpectu Dei, ut conſtat à num. 279. Unde nequit unum per alterum compenſari.

284. **O**bjicies 3. Qui præſtat id, per quod extinguit debitum, omnino ſatisfacit; cùm repugnet, ſuperſeſſe aliud, per quod ulterius ſatisfaciat: ſed id præſtat dilectio Dei ſuper omnia elicita à pura creatura: ergo &c. Probat̄ur min. Talis dilectio eſt incomponibilis cum odio, ira, & jure offenſi ad vindictam, quod erat debitum peccati: ergo pura creatura eliciens dilectionem Dei ſuper omnia, præſtat id, per quod extinguit omnino debitum peccati: nam Deus ex Proverb. 68. diligentes ſe diligit, & amor Dei nequit componi cum ira, & odio, & jure Dei ad vindictam: ergo &c. Reſpondeo 1. diſt. maj. ſi id conveniat obſequio præſtito ex magnitudine ſuæ bonitatis, & juſtæ æſtimabilitatis, conc. ſi id conveniat illi ex conditione tollente juſtam, & æqualem æſtimabilitatem, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam: idemque dicendum ad probationes.

285. **R**atio eſt, quia, ut bene probat Eſparza q. 8. de virtutibus Theologicis, dilectio DEI ſuper omnia ſolum extinguit debitum acquiſitum per peccatum lethale ex gratioſa promiſſione, & inſinuatione Dei offenſi invitantis ad mutuam redamationem, & ex connexionione intentionali obſequii cum ea promiſſione, inſinuatione, ac invitatione Dei, quod tantum probat illud objectum Scripturæ testimoniū. Quod autem Deus cedat juri ad vindictam ratione contritionis, non quidem eò, quod illa ſit

tantæ magnitudinis, quàm debitum; sed quia Deus gratiose vult illà contentus esse: conditio est, quæ tollit dilectioni Dei æqualem æstimabilitatem cum magnitudine lethalis offensæ, quæ Esparzæ doctrina satis nota est ex dictis à num. 272. Respondeo 2. negando assumptum argumenti; quia licet pura creatura posset elicere contritionem, & gratiam inducere, si hæc posset esse, quin denominet objectum Sanctum, non potest facere, ut denominetur Sanctum, si Deus non cedat juri offensi, quia in se haberet subjectum in eo casu ad talem denominationem resistentiam prævalentem, & proveniente ab inhonoratione: ad eum modum, quo gratia habitualis non reddit Christum Filium DEI adoptivum; quia invenit resistentiam prævalentem ratione Filiationis naturalis, ut dixi à n. 39. de grat. sanctific. & infra dicemus à n. 291.

286. **Objicies 4.** Dilectio Dei super omnia crescit ex magnitudine objecti infiniti, sicut crescit offensa ex DEO offenso: ergo offensa Dei condignè compensatur per talem dilectionem. Probat antec. Ideo actus charitatis est perfectior actu cujusvis alterius virtutis, quia habet pro objecto ipsum Deum perfectissimo modo attractum, modo, quo offensa est major reliquis malis; quia habet pro objecto ipsum Deum vilissimo modo inhonoratum: ergo &c. Respondeo dist. antec. crescit in linea meriti, & obsequii, sicut offensa in linea offensæ, conc. crescit æquando magnitudinem suæ lineæ cum magnitudine lineæ offensæ, nego antec. ad probationem dist. eodem modo secundam partem antecedentis, & nego consequ. quia incrementum actus dilectionis Dei, & incrementum offensæ manet in linea inhonorationis divinæ, quæ ex dictis num. 272. & 279. inæqualissimæ sunt. Sic licet formica in sua linea crescit, sicut in sua linea crescit elephas, nunquam tamen poterit adæquare magnitudinem suæ lineæ cum magnitudine lineæ elephantis.

287. **Objicies 5.** Peccatum non crescit per inhonorationem Dei: ergo condignè potest per dilectionem Dei compensari. Prob. ant. Transgressio præceptorum Dei non est contra honorem Dei; ergo &c. Prob. ant. Transgressio legis, quæ non fertur in favorem Legislatoris, ejusque autoritatis, & dignitatis, sed tendit ad bonum commune subditorum, non est contra honorem Legislatoris, nec Principes ulciscuntur ejusmodi transgressiones tanquàm sibi injurias, nec earum penam propria dignitate metiuntur: atqui leges Dei non respiciunt bonum divinum, sed nostrum: ergo &c. Probat antec. Transgressio legis, quæ non potest minuere dignitatem, & autoritatem, non est contra legem respicientem bonum Principis, sed subditorum; atqui transgressio legis divinæ nequit minuere autoritatem, & honorem Dei ex illo Jobi 33. dicentis peccatori: *si peccaveris, quid ei nocebis, & si multiplicata fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum:* ergo &c. Hoc argumentum hæresin sapere videtur; quia vel nihil probat, vel

probat, nullum peccatum esse directè contra Deum. Quare

Resp. nego antec. ad probationem nego antec. ad probat. dist. maj. non est contra honorem Legislatoris, si ea transgressio fiat præsentiplo Legislatore, qui comminatus fuerat transgressoribus justum jus ad eorum inimicitiam, indignationem, & odium, aliisque gravissimas pœnas, nego, si nihil eorum comminatus fuerit, conc. maj. & distincta pariter minore, nego consequentiam. Ad probationem dist. maj. quæ non potest minuere duntaxat, nego, quæ non potest neque minuere, neque contemnere, conc. maj. & distincta pariter minore, nego consequentiam. Ratio est, quia transgressio divinæ legis in illis circumstantiis, licet dignitatem Dei non minuat, nihilominus præsentem Deo eam contemnit, quod satis est ad veram Dei inhonorationem, ut constat à num. 268. Unde licet lex illa non possit dici, quòd respiciat bonum aliquod intrinsecum, quod Deus sibi quærat, aut malum intrinsecum, quod sibi fugiat, dici tamen debet, quòd respiciat bonum Dei intrinsecum, quo Deus ipse gaudet, cum respiciat suam divinam majestatem, quam non vult à peccatore contemni; quod ad rem nostram satis, superque est.

Objic. 6. Major est complacentia Dei in bonis justorum operibus, quàm displicentia in peccatis: sed qui obsequendo exhibet majorem complacentiam materiam, quàm exhibuit displicentiæ peccando, superabundanter satisfacit ergo &c. Major probatur. Gloria, quæ sequitur ex illa complacentia, est major, quàm pena, quæ ex illa displicentia subsequitur: ergo complacentia in bono major erat, quàm displicentia in malo. Resp. nego majorem, ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia complacentia ad conferendam gloriam respicit gloriam, ut finem bonorum operum, & bona opera respicit, ut medium ad talem finem; cumque finis sit nobilior mediis ex suis intrinsecis ad illum destinatis, ex ea complacentia subsequitur gloria, quæ melior est illis operibus. at displicentia de peccato, ex qua infertur pœna, non respicit pœnam, ut finem peccatorum, sed ut medium, quod destinatum erat ad fugienda peccata; cumque medium non debeat esse nobilior fine, ut constat ex n. 288. sed longè minus; exinde licet displicentia de peccato sit longè major, quàm complacentia de bonis justorum operibus, nihilominus ex complacentia minori de bonis operibus sequitur gloria major, & ex displicentia majori de peccato subsequitur pœna major.

Objicies 7. instando simul solutionem: tantum placet Deo sola dilectio præcepta in genere moris, quantum displicet omisso peccaminosa: ergo &c. Probat antec. Deum displicere in ea omissione, est nolle eam omissionem existere; sed nolle, quòd existat ea ommissio, est velle, quòd existat dilectio: ergo quantum vult, quòd non existat ommissio, tantum

tum vult, quod existat dilectio, ac proinde tantum complacet in una, quantum in alia displicet. Resp. nego ant. quia dilectio placet ut meritoria, & obsequiosa; omisio vero, ut graviter peccaminosa, & inhonorativa, & cum sit major inhonoratio, quam obsequium, nequit complacere in una, quantum displicet in alia. Ad probationem dist. maj. est nolle juxta magnitudinem suæ lineæ, conc. alterius lineæ, nego maj. & distincta pariter min. nego consequ. quia licet in illis circumstantiis nolle omisionem dilectionis, sit nolle peccatum, & inhonoracionem Dei, simulque sit velle dilectionem, & honoracionem divinam; at ille actus divinus prout tendit ad inhonoracionem, respicit lineam superiorem, quæ crescit ex ipsa Dei magnitudine, & prout tendit ad honoracionem, respicit lineam inferiorem, quæ ex ipsa Dei magnitudine decrefcit, in quo stat maximum discrimen inter obsequium, & offensam DEI, ut constat ex num. 272.

291. Objicies 8. Qui potest mereri, quod est majus, potest mereri, quod est minus: sed purus homo potest suis operibus mereri gloriam, quæ est quid majus, quam remissio peccati: ergo &c. Respondeo dist. maj. si nihil sit, quod resistat ad merendum minus, conc. si sit aliquid, quod fortius resistat, nego maj. & distincta eodem modo secunda parte min. nego consequentiam; quia ad merendam gloriam nihil est, quod fortius resistat operibus justis; at vero ad merendam remissionem peccati resistit inhonoratio Dei à pura creatura incompensabilis. Sic in phycis ignis in ceram potest inducere quintum gradum mollitudinis, quin possit unicum inducere in adamantem; & in moralibus, si Joannes sit amicissimus Petri habentis pingue hæreditatem, & inimicissimus Pauli habentis hæreditatem exiguam; Petrus autem, & Paulus velint adoptare aliquem in filium, Joannes mereri poterit adoptionem Petri, & hæreditatē, quod est majus, quin mereatur adoptionem, & hæreditatem Pauli, quod est minus; quia ad unum, non ad aliud invenit, quod fortius resistat. Unde argumentum nullius est roboris: quin potius falsum est, quod assumit, nempe quod beatitudo formalis sit melior, quam malum sit peccatum; oppositum enim constat ex dictis, & docent communiter Theologi cum Div. Thom. in quæst. disputat. quæst. 1. de malo art. 5. in 2. sentent. distinct. 37. quæst. 3. art. 2. tum etiam 2. 2. quæst. 19. art. 1. quæst. 3. art. 1. quæst. 96. art. 4. & 1. part. quæst. 48. art. 6.

292. Objicies 9. Qui facit, quantum potest, cum ad nihil amplius teneatur, satisfacit ad æqualitatem: ergo pura creatura satisfaciendo, quantum potest, satisfaciens condignè pro quovis lethali. Confirmatur. Non minus debetur Deo gratiarum actio pro beneficiis acceptis, ac debeatur Deo satisfactio pro peccatis: sed licet pura creatura nihil possit æquale reponeere pro beneficiis Dei, satisfacit condignè ob-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

ligationi gratiarum actionis, gratias agendo, quantas potest; nam ut ait Philosophus, qui, quantum potest, obsequitur, bonus, & justus esse videtur: ergo &c. Respondeo dist. ant. satisfacit ad æqualitatem pro obligatione faciendi, omitto, pro obligatione patiendi, nego antec. & consequentiam; quia licet delinquens non possit condignè satisfacere pro offensa, tenetur ad patiendum, quantum responder debito contracto per delictum, licet non tenetur ad ulterius patiendum. Dixi omitto antec. quia cum non extinguatur jus creditoris, manet debitor obnoxius ad alia facienda, quoties possit, ut diximus à num. 533. de justitia, & jure. Ad primam Confirmationem nego consequentiam, quia per beneficia non contrahitur debitum ad patiendum, sed ad agendum, ut constat ex natura beneficii; at per peccatum non solum contrahitur debitum ad agendum, sed etiam ad patiendum, ideoque, qui facit, quantum potest, satisfacit condignè obligationi gratiarum actionis, licet non satisfaciat condignè obligationi contractæ per offensam.

Objicies 10. Deus, qui est essentia bonitatis non dedit creaturæ majorem potestatem ad malum, quam ad bonum, & constat ex 18. Ezechielis à versiculo 23. usque ad 21. sed dedit ei potestatem per peccatum amittendi gratiam: ergo dedit etiam illi potestatem recuperandi gratiam per condignam satisfactionem. Confirmatur: in statu puræ naturæ poterat homo peccare; sed tunc non esset deterior conditio hominis ad bonum, quam ad malum: ergo potest per conversionem condignè satisfacere pro peccato. Retorqueo argumentum, Deus non dedit min. potestatem homini ad bonum, quam ad malum; atqui dedit ei potestatem, ut si præcipiteret à turri, vitam amitteret: ergo dedit etiam illi potestatem, ut vitam amissam recuperet. Respondebis æqualem potestatem non stare in eo, quod restitaurare possit vitam amissam, sed in eo, quod liberè possit se præcipitare, vel non; aliter non esset potestas ejus naturæ proportionata. Idem ego respondeo & dist. maj. potestatem ad malum, quam ad bonum, quatenus per id significatur dedisse, illi libertate ad utrumque conc. quatenus per id significatur dedisse illi potestatem ad plenè satisfaciendum pro peccato, si semel peccaverit, nego maj. & dist. min. dedit ei potestatem solum ad amittendam gratiam nego, ad amittendam, & ad non amittendam conc. min. & nego consequ. ut constat ex dictis. Ad Confirmationem distinctis eodem modo præmissis nego consequ. propter eandem rationem supra datam, quæ valdè corroboratur ex illo Osee 13. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Objicies 11. Peccatum veniale est contra DEUM; atqui potest pura creatura pro illo condigne satisfacere: ergo etiam pro lethali. Confirmatur fortior est in voluntate

L 1 2

virtus

virtus ad bonum, quam malum: ergo &c. Probatur antec. natura voluntatis imitatur naturam intellectus: atqui in intellectu fortior est virtus ad actus rectos, per quos immobiliter adhæret objecto, quam ad actus irrectos, per quos non adhæret immobiliter: ergo etiam in voluntate. Respondeo dist. maj. est contra Deum, ut offensa propria Dei, nego, ut impropria conc. maj. & concessa min. nego conseq. quia veniale propriè tantum opponitur honestæ prosecutioni alicujus medii ordinabilis ad Deum retenta adhæsiōe ad DEUM, ut ultimum finem, nec per ipsum amittitur gratia Dei, & id, per quod offensi gratia non amittitur, non est propriè, sed impropriè offensa; fecus autem evenit in lethali; unde licet pura creatura possit satisfacere pro veniali, male exinde inferitur, quod possit satisfacere pro lethali.

295. Ad Confirmationem dist. antec. quatenus per id significatur centrum voluntatis non esse malum, sed bonum conc. quatenus per id significatur habere potestatem ad resurgendum solis viribus suis à malo lethali semel perpetrato nego antec. & conseq. Ad probationem dist. maj. imitatur quoad aliqua conc. quoad omnia nego maj. & permissa min. nego conseq. Ratio est, quia intellectus non est potentia libera, bene verò voluntas: unde quantum ad hoc voluntas nequaquam imitatur naturam intellectus; quamobrem non opponitur exercitio intellectus veritas proposita sine mixtione ulla falsitatis, & tunc objecto firmiter adhæret; at verò meritò voluntatis, quod sine libertate haberi non potest opponitur bonitas sine ulla mixtione mali proposita, quæ voluntatem raperet, & libertatem everteret: unde non potest adeò firmiter adhæret liberè tali bonitati. Dixi permilla min. quæ sanè est falsa; nam quod intellectus rapiatur ab evidentia clarè proposita, non probat majores vires in intellectu, si ex natura sua intellectus evidentiam illam non exigit, ad eum modum, quo Aggregatum ex intellectu, & summæ gloriæ exigit visionem, & intellectus Deus evidentiam omnium rerum; sed potius probat majores esse vires in evidentia, quibus intellectus rapitur, quin veritati clarè propositæ dissentiri possit; sicut quod homo debilis rapiatur à forti, non probat, quod sint fortiores vires in debili, sed potius inforti. Verùm hæc longè sunt à questione, de qua agimus.

296. Objicies 12. licet ex dignitate Dei, & vitalitate creaturæ crescat gravitas offensæ divinæ, semper est finita: ergo ex multiplicatè meritorum, aliisque circumstantiis ita potest crescere valor satisfactorius, ut æquet, & excedat gravitatem delicti. Confirmatur 1. entitates finitæ additæ sine fine adæquant alteram rationem infinitam: ergo pariter in nostro casu. Confirmatur 2. ex defectu deliberationis, ex materia, levitate, aliisque circumstantiis ita minui potest offensa, ut levissima sit, quæ in

aliis circumstantiis foret offensa gravis: ergo etiam ex aliquibus circumstantiis ita potest crescere satisfactio, ut maxima sit, & æqualis magnitudini offensæ, licet futura esset minima in aliis circumstantiis. Confirm. 3. licet argentum sit ordinis inferioris respectu auri, ita potest multiplicari, ut æquet, & excedat auri æstimationem, ut demonstrat experientia: ergo licet satisfactio sit ordinis inferioris respectu offensæ, ita poterit augeri satisfactio, ut æquet, & excedat gravitatem offensæ.

Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ut constat à num. 278. inhonoratio Dei est in linea valde superiori ad obsequium, & linea superior nequit æquari ab inferiori quantumcunque multiplicata, ut constat à num. 273. Ad primam Confirmationem dist. antec. adæquant, & excedunt alteram rationem infinitam relatè ad considerationem non pertinentem ad diversam lineam, sed ad eandem lineam utilitatis, commodi, aut difficultatis in acquirendo conc. relatè ad intrinsicam rei excellentiam pertinentem ad lineam superiorem nego antec. & conseq. ut constat à num. 274. Ad secundam confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia ubi nulla est libertas, nullum est formale peccatum, & cum in circumstantiis, in quibus deficit deliberatio, deficiat quoque libertas, idè in his circumstantiis non est formale peccatum, quod in aliis circumstantiis esset gravissimum; at verò nullæ possunt esse circumstantiæ, in quibus obsequium puræ creaturæ tam magnum sit respectu Dei, quanta est offensa, & inhonoratio divina ut constat à n. 278. idè quæ non potest pura creatura peccat obsequia sua quantumcunque multiplicata satisfacere condignè pro gravitate talis offensæ. Ad tertiam Confirmationem dist. antec. ut æquet, & excedat relatè ad æstimationem humanam considerantem eandem lineam sive commodi, sive difficultatis in consecutione rei conc. relatè ad excellentiam auri in sua superiori linea considerati nego antec. & conseq. ut constat à num. 214. aliter posset etiam argentum æquari dignitati hominis, cum juxta humanam considerationem habitam in commercio, homo vendatur pro argento; neque in alio sensu, nisi juxta istam humanam considerationem potest vasallus suis obsequiis satisfacere pro offensa contra Regem commissa.

Objicies 13. Deus potest creaturæ infundere gratiam habitualemente infinitè intentam: sed actus talis creaturæ condignificatus per gratiam infinitam esset condigna satisfactio pro lethali: ergo &c. Probatur min. ille actus haberet infinitam vim meritoriam, cum hæc crescat juxta augmentum gratiæ habitualis præexistentis: atqui demeritum peccati lethalis non est infinitum: ergo &c. Confirmatur actus infinitè intensus condignificatus gratia habituali infinitè intentam mereretur gloriam in intensione, & extensione infinitam: sed peccatum lethale solum mereretur poenam infinitam.

infinitam in extensione, & non in intensione: ergo ille actus, qui posset elici à pura creatura esset condigna satisfactio pro lethali.

ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum morale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna pena digna.

Quam quidem propositionem Alexan. VIII. 301.

ut in ipso decreto habetur declaravit scandalosam, temerariam, spuriam, aurium offensivam, & erroneam, & ut talem damnandam & prohibendam esse, sicut damnat & prohibet. Ita, ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut etiam de ea disputaverit publice, sive privatim tractaverit, nisi forte impugnantem, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano pontifice absolvi. Insuper districtè virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, status, ac dignitatis etiam speciali & specialissima nota dignis, prædictam Theſim, & propositionem ad praxim deducant. Ex qua prohibitionem satis apparet, quàm falsum sit assumptum hujus argumenti. Unde.

Resp. nego maj. quia sicut est impossibile, 302.

quod ulla creatura rationalis expedita ad agendum, & operandum possit ignorare primam naturæ principia, ut sunt illa, bonum est amplectendum, malum est fugiendum, ita est impossibile, quod possit ignorare Authorem omnis bonitatis, qui est Deus, natura rationalis expedita ad operandum non possit cognoscere bonum & malum, nisi cognosceret bonum esse bonum, & malum esse malum, quod proinde est ac cognoscere esse conforme regulæ supremæ approbanti, malumque esse deformem tali regulæ; cumque regula ista non sit alia, nisi Deus, exinde creatura rationalis sub hoc etiam conceptu nequit habere, invincibilem ignorantiam de Deo, unde nullum peccatum committi potest, quod non sit Theologicum, sive contra Deum; cumque pura creatura pro peccato lethali contra Deum non possit condignè satisfacere, ut & ipsi Adversarii in argumento supponunt. Ideo condignè satisfacere non potest pro ullo peccato lethali, quin potius, ut dixi in Tract. de Deo à num. 10. creaturæ rationali expeditæ ad operandum est debita cognitio de Deo, ut Authore suo, qua in Deum tanquam in centrum suum inclinetur, multò magis, quàm gravibus sit debita gravitas, qua tendunt deorsum in centrum, & levibus levitas, qua in centrum suum sursum aspirant, ut expressè tradunt SS. PP. ibi citati.

* * *

299. Resp. permissa maj. quæ falsa est; nam infinitum categorematicum intensiōis, ut ex Philosophiæ suppono, omnino repugnat; & nego min. ad Probationem permitto maj. quæ est etiam falsa, quia meritum non crescit arithmetice juxta mensuram gratiæ habitualis, ut dixi in demerito, & infra iterum dicemus, cum de infinitate meritorum Christi sermo erit, & concessa min. nego conseq. quia offensa in ratione offensa est in linea valde Superiori respectu meriti puræ creaturæ considerati in ratione meriti; ac proinde est inæquabilis à meritolicè infinito, ut à num. 213. Ad Confirmationem permissis præmissis, nego conseq. quia, ut constat ex dictis à num. 218. meritum, & demeritum puræ creaturæ sunt in lineis adeò distantibus, ut nequeat una etsi finita per aliam infinitam compensari; meritum enim decrevit in linea inferiori, seu obsequii ex iisdem capitibus, ex quibus in linea superiori, sive inhonorationis Dei crescit peccatum lethale, seu demeritum. Resp. alii 2. peccatum lethale mereri, præter poenam sensus poenam damni aliquo modo in intensione, quatenus puniatur à Deo privatione omnium donorum & gratiæ infinite intensæ; quæ omnia mereri non potest pura creatura: unde est major vis demeritoria in peccato, quàm sit vis demeritoria in actu infinite intenso puræ creaturæ; sed de hoc alibi:

300. Obijcies 14. Peccatum lethale committi potest absque prævia cognitione Dei, legisque &c. v. g. volendo occidere innocentem, vel annihilare Angelum, si fieri potest: atqui hujusmodi peccatum nullo modo haberet magnitudinem malitiæ incompensabilem per opera puræ creaturæ: ergo pura creatura potest condignè satisfacere pro aliquo peccato lethali. In primis, hæc obiectio non probat Incarnationem non fuisse necessariam ad condignè satisfaciendum pro lethali commisso ab Adamo, ejusque in posteris derivato, & pro peccatis personalibus aliorum. Præterea hoc argumentum viam aperit, vel potius contendit possibile esse peccatum Philosophicum, quod planè chimera est, ut constat ex Alex. VIII. in decreto suo 24. Aug. 1690. damnate secundam propositionem, quæ sic habebat. Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens nature rationali, & recte rationi: Theologicum verò & morale est transgressio libera divine legis, Philosophicum verò quantumvis grave in illo, qui Deum vel

